

tempore interdicti non fit irregularis; quia hoc non est exercere actum ordinis. Diana p. v, tract. 16, resol. 65.

Similiter admittens interdictos tempore interdicti dum celebrantur divina, licet peccet, non est irregularis. Avila part. vii, d. 9, sect. 2, dub. 9.

Sic etiam clerici sepelientes in loco inter-

dicto sine psalmis et missis non sunt irregulares, quamvis peccent; siquidem non exercent actum ordinis. Suarez de Cens. 2, disp. 33, sect. 1, v. 19.

Insuper clericus interdictus ab ingressu ecclesiae, audiens, non celebrans divina, et si peccet, non efficitur irregularis. Sayrus lib. iv, cap. 7, n. 13 et 14.

## J

### JEJUNIUM.

#### SUMMARIUM.

ARTICULUS I.—*Quoad ea, quae concernunt Jejunii esse obligationem, modum, et tempus.*

1. Jejunium unde dictum. — 2. Jejunium generatim sumptum est quadruplex, scilicet spirituale, naturale, morale, et ecclesiasticum. — 3. Jejunium spirituale quid sit. — 4. Jejunium naturale quid sit. — 5. Jejunium morale quid sit. — 6. Jejunium ecclesiasticum quid sit. — 7. Ad jejunium ecclesiasticum tria requiruntur, scilicet abstinencia ciborum certi generis, abstinencia plurium refectionum, ac certa hora refectionis. — 8. Diebus jejunii abstinendum est a carnibus. — 9. Et in quadragesima etiam ab ovis et lacticiis. — 10. Consuetudo abstinendi a lacte, caseo, et ovis pro solo tempore Quadragesimae, non item pro aliis diebus jejuniorum obligat, universaliter loquendo. — 11. Particulariter tamen loquendo, standum particularibus locorum consuetudinibus et privilegiis. — 12. Regulares in jejunii uti possunt ovis, et lacticiis extra tempora ab Ecclesia universaliter prohibita. — 13. Ad jejunium requiritur una tantum relectio moraliter continuata. — 14. Ultra dictam refectionem licita est etiam serotina collationcula. — 15. Hora debita refectionis, licet alias esset hora vespertina in Quadragesima, et hora nona pro aliis diebus jejunii, modo tamen est hora sexta proxima meridiei, seu hora meridiana. — 16. Consuetudo sumendi refectionem in meridie diebus omnibus jejunii quando ceperit. — 17. Jejunium ecclesiasticum quoad substantiam consistit in unica comestione et abstinencia a carnibus. — 18. Praeceptum jejunii obligat sub mortali diebus ab Ecclesia praescriptis. — 19. Jejunium quamvis ab Ecclesia sit determinatum quoad tempus, tamen non est solum de praecocepto positivo Ecclesiae, sed de implicita praedestinatione divina fidelibus demandatum. — 20. Diebus Dominicis quamvis ex se licitum esset jejunare, tamen dignis de causis statutum est ab Ecclesia non esse in ipsis jejunandum. — 21. Afferitur decretum sacrae congregationis supremae, et universalis Inquisitionis prohibens jejunium etiam ex devotione diebus Dominicis et festis solemnibus. — 22. Consecraria quaedam ex praedictis afferuntur. — 23. Si vigilia S. Joannis cadat in festo Corporis Christi, anticipandum est jejunium feria 4. — 24. Idem declaratum est pro vigilia S. Antonii de Padua. — 25. Si vigilia cum Jejunio occurrat in festo solenni alienius patroni principalis, potest licite ab episcopo fieri commutatio jejunii in die praecedenti. — 26. Non potest tamen auctoritate episcopi anticipari vigilia S. Mathiae, etiamsi occurrat ultima die Baccanaliu. — 27. Fratres Minores tenentur ad praecoceptum jejunii feria 6 occurrente in die natalis Domini. — 28. Alii tamen defendunt contrarium. — 29. Sed tamen immerito, ac idem, quod dictum est pro fratribus min. valet pro quocumque habente votum jejunii. — 30. Moniales S. Clarae non tenentur nunc sub mortali ad jejunia regularia, scilicet adventus et feriae sextae. — 31. Dispensatus circa

esum carniu ob debilitatem virium, et ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio. — 32. Non sic tamen est dispensatus a jejunio qui est dispensatus, quia cibi, etc., jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales. — 33. Colligitur hoc aperte ex bullis et edictis Summorum Pontificum. — 34. Afferitur edictum de ordine Clement. XI editum, et duplex breve Benedicti XIV, et afferitur etiam validissima ratio. — 35. Post haec emanavit alia ejusdem Benedicti XIV explanatio, et declaratio, quae ad litteram afferitur. — 36. Qui frangit jejunium saepius comedendo carnes, peccat mortaliter toties, quoties comedit carnes. — 37. Quomodo autem peccet, qui frangit jejunium saepius comedendo cibos licitos, variant doctores. — 38. Jejunium non frangitur per sumptiones factas, non per modum cibi, vel refectionis, sed per modum medicinae, vel potus. — 39. Sic pariter non frangit jejunium bibere extra tempus refectionis quemcumque purum potum, etiam vinum, cerevisiam, mulsum etiamsi fiat non praecise ad sedandam sitim, sed etiam aliquantulum ad sedandam famem. — 40. Jejunium non frangit, et licita est sumptio caffee, thei, et chocolati in die jejunii, quando illa sumuntur medicinaliter. — 41. Si tamen sumantur non medicinaliter, variant doctores, et praesertim de chocolato. — 42. Collatio vespertina etiam ad nutritionem sumpta est licita. — 43. Pro qualitate ciborum in hac vespertina collatione sumendorum variant doctores. — 44. Sic etiam variant doctores pro quantitate. — 45. Probabilius modica, et licita quantitas pro collatione vespertina a variis censetur quarta, vel quinta pars coenae ordinariae. At dicendum 4, vel 5 uncias; et attendendum apostolicae decisioni Benedict. XIV in responsione ad dubium sub hoc numero allatum. — 46. Tempus ordinarium collationis est vespertinum, unde qui eum commutat sine justa causa, sumendo mane collationem et vespere prandium, peccat saltem venialiter. Si autem hoc faciat cum justa causa, nullimode peccat. — 47. Immo varii censent probabile nequidem peccare venialiter, etiamsi hoc faciat sine speciali causa. — 48. Tempus ordinarium prandii scilicet horam sextam proximam meridiei, notabiliter v. g. per unam, vel alteram horam anticipare absque causa, varii graves doctores volunt esse peccatum mortale; communior tamen et probabilior sententia tenet esse veniale tantum. — 49. Si vero aliqua justa causa subsit, nullum erit peccatum ne quidem veniale. — 50. Sicuti nullum est peccatum in privilegiatis, ut in religiosis, qui per privilegium etiam sine causa possunt una hora anticipare. — 51. Prandium interrompere seu dividere in die jejunii sine justa causa non licet. — 52. Justa tamen interveniente causa ut paupertas, officium, negotium, licet. — 53. Sic non peccat qui inter prandendum garrat, nugatur, nova nuntia legit, et hujusmodi, si tempus refectionis non excedit duas horas. — 54. Item si quis prandium finierit, et mappulam plicarit cum proposito nil amplius comedendi, seu surrexerit e mensa, etiam gratis actis, potest intra quadrante circiter mutata voluntate iterum assidere et

comedere. — 55. Item qui mensam relinquit in uno loco intendens absolvere in alio, ubi exspectatur, non peccat saltem graviter, dummodo prandium non excedat duas horas vel intervallum quadrantem circiter. — 56. Prandium protrahi potest licite ad duas horas, non autem ultra. — 57. Qui mane culpabiliter sumpsit jentaculum aequivalens refectioni, tenetur illo die abstinere a refectione; etsi jentaculum sumptum modicum fuerit, tenetur abstinere a collatione. — 58. Qui inculpabiliter per inadvertentiam sumpsit mane jentaculum sufficiens ad prandium non potest amplius illo die prandere, sed solum vespere sumere collationem. — 59. Qui iter facturum mane prandet, et postea mutatis rebus iter non agit, non potest amplius illo die prandere; sed solum vespere sumere collationem. — 60. Qui post prandium sumpsit aliquid cibi, tanto minus debet postea sumere in collatione; et si quasi ad tempus collationis sumpsit cibum aequivalentem ad ipsam, debet illo die omnino abstinere ab illa. — 61. Qui frangit jejunium multiplici praecocepto ex eodem motivo impenatum, unicuique tantum specie et numero peccatum committit. — 62. Idem probabilius dicendum est de Franciscanis, non jejunantibus feria 6 Quatuor Temporum cadente in vigilia et Quadragesima. — 63. Violatio autem ejusdem jejunii ab Ecclesia praecipi, a superiore imperati, a confessario pro poenitentia injuncti, et voto debiti, habet quatuor distinctas specie malitias. — 64. Violatio jejunii per comestionem carniu distinguitur specie a violatione per comestionem lacticiuorum et ovorum. — 65. Statuens deliberate per totam quadragesimam non jejunare, vel non jejunans, quot peccata committat? — 66. Qui statuta die non jejunavit sive inculpabiliter, sive culpabiliter, non tenetur postea jejunare alia die, et an, et quando jejunium anticipare solvi debeat? — 67. Peccant mortaliter etiam qui ad frangendum jejunium aliis proxime cooperantur, inducunt, aut, cum possunt et debeant, non impediunt. — 68. Jejunium ex voto vel praecocepto majoris est meriti quam ex electione vel consilio. — 69. 87. Nonnulla adnectuntur ex Benedicto XIV. — 88. Encyclica Bened. XIV de vigilia S. Matthiae. — 89. Clementis XIII encyclica super observantia quadragesimalis jejunii.

ARTICULUS II.—*Jejunium quoad ea quae concernunt personas obligatas, et causas excusantes, vel non.*

1. Jejunium obligat omnes Christianos quibus est aetas competens. — 2. Ad jejunium obligantur etiam haeretici. — 3. Non obligantur tamen infideles. — 4. Praecoceptum jejunii incipit obligare quoslibet fideles anno aetatis 21 completo. — 5. Regulares, licet nondum compleverint annum 21 aetatis suae, tenentur ad jejunia suae regulae. — 6. Alii sentiunt contrarium. — 7. Ad jejunia Ecclesiae de quibus sua regula non loquitur non tenentur regulares, nisi post completum annum 21. — 8. Causae excusantes a jejunio sunt principaliter quatuor, scilicet aetas, impotentia, labor, et pietas. — 9. Ratione aetatis excusantur a jejunio quoad plures refectiones omnes ante com-

#### ARTICULUS I.

*Quoad ea quae concernunt jejunii esse, obligationem, modum, et tempus.*

(1. Jejunium secundum etymologiam nominis dictum est a *jejunio*, intestino quodam animalis, quod semper vacuum et subtile est, quod nimirum jejunium hominem cibo vacuum, et consequenter non pinguem, sed maerum et subtilem reddat. Sporer. to. I, Append. ad 3 praecoceptum Decalogi, sect. 1,

pletum annum 21, dummodo ad illud non teneantur ex voto, vel professione regulari. Non excusantur autem quoad abstinenciam a carnibus, cum ad ipsam obligentur omnes post annum septimum. — 10. Senes quoque ratione aetatis a jejunio excusantur. — 11. Senes excusari a jejunio eo ipso quod annum 56 attigerint, dixerunt aliqui, merito tamen ab omnibus rejecti. — 12. Alii volunt quod absolute sint excusati a jejunio senes sexagenarii, quamvis sint robustae valetudinis. — 13. Alii econtra rectius volunt sexagenarios teneri jejunare, si per praesentes vires commode possint. — 14. In dubio an sexagenarii sint robusti et habiles ad jejunandum, non tenentur jejunare. — 15. Senes post annum 60 non tantum excusari a jejunio ecclesiastico, sed etiam a jejunii debitis ex voto vel professione, volunt aliqui, sed rectius negant alii. — 16. Sic etiam si alicui per legitimam dispensationem commutaretur votum castitatis perpetuae in jejunium etiam post annum 60. — 17. Feminae censentur ab aliquibus absolute excusari a jejunio in aetate quinquaginta annorum; sed rectius negant alii. — 18. Ratione impotentiae quinam a jejunio excusantur. — 19. Et qui non excusantur. — 20. Ratione laboris quinam a jejunio excusantur. — 21. Et qui non excusantur, usque ad n. 24. — 25. Ab obligatione jejunii excusatur etiam labor honestus, qui non est vitae sustentandae necessarius, nisi fiat in fraudem legis, et nisi sit levis. — 26. Labor illicitus non excusat defatigatos a jejunio, nisi sit periculum alicujus morbi contrahendi. — 27. Omnes iter sive pedibus, sive equo, sive curru, sive aliter confectum, et non susceptum in fraudem legis, nec in finem illicitum (si aliunde graviter fatigat itinerantem) excusatur a jejunio. — 28. Quantum debeat esse iter ad hoc, ut causare gravem defatigationem, et sic excusare itinerantes a jejunio. — 29. Qui in fraudem jejunii de loco ubi viget praecoceptum jejunandi, se transfert ad locum ubi non jejunatur, peccat graviter. — 30. Adducitur ratio intrinseca. — 31. Qui autem de loco ubi jejunatur, non in fraudem jejunii sed bona fide, transit ad loca seu per loca ubi non jejunatur, non tenetur jejunare. — 32. Sic qui non in fraudem jejunii, sed negotiorum causa de loco proprii domicilii ubi nondum est incepta quadragesima, pergit ad locum ubi per hebdomadam est jam incepta quadragesima, non tenetur jejunare illic per octo alios Pascha ad complendam quadragesimam. — 33. E contra vero, si talis in loco sui domicilii complexset quadragesimam, non tenetur postea alibi observare illos octo dies, et remissive quoad peregrinos et advenas. — 34. Ratione pietatis quinam excusantur vel non a jejunio. — 35. In dubio an incommodum sit grave vel leve, ad tollendos scrupulos recurrendum est pro dispensatione ad superiores qui assignantur. — 36. 38. Quadragesimalis jejunii historia. — 39. Antiquitas jejunii quatuor temporum. — 40, 41. De jejunio quartae et sextae feriae. — 42. De jejunio adventus. — 43. Stationum. — 44. Vigiliarum. — 45. Kalendarum Januarii. — 46. Rogationum. — 47, 48. Recens tum Occidentalis tum Orientalis Ecclesiae disciplina circa jejunia. — 49. Pauca de jejunii dogmate.

num. 1. (2. Jejunium generatim sumptum est quadruplex, scilicet spirituale, naturale, morale, et ecclesiasticum. (3. Jejunium spirituale est abstinencia a vitis, et illicitis voluptatibus; habetur expresse ex cap. *Jejunium* 24, dist. 5, de consecratione, ubi ex verbis S. Augustini sic expresse dicitur: « Jejunium autem magnum et generale est abstinere ab iniquitatibus et ab illicitis voluptatibus saeculi, quod est perfectum jejunium; » et cap. *lviii* *Isaiae*, ibi: « Nonne hoc est magis jejunium quod elegi? Dissolve

colligationes impietatis. » Et S. Basilius hom. 1, de Jejunio, dicit: « Verum jejunium est ab omnibus vitiis esse alienum. » (4. Jejunium *naturale* est abstinencia ab omni prorsus cibo et potu, etiam per modum medicinæ in stomachum transmissio, quale jejunium a tempore mediæ noctis requiritur de præcepto ecclesiastico ad sumptionem eucharistiæ, nam, ut ait S. Augustinus epist. 118, ad Januarium: « Placuit Spiritui sancto ut in honorem tanti sacramenti, prius, in os Christiani corpus Dominicum intraret quam reliqui cibi, nam ideo per universum orbem mos ille servatur. » Idem traditur in concilio Africano, can. 8; Carthaginensi IV, c. 29, quæ exstant tom. I Concil. Item in concilio Masticon., c. 6; Antiodorensi, cap. 29; Toletan. VII, can. 1, quæ exstant tom. II, Concil. Hinc rubricæ Missalis tit. de defectibus dispositionis corporis sic loquuntur: « Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquæ, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinæ, et in quantacunque parva quantitate, non potest communicare nec celebrare. » Ubi tamen mox subjungitur in hæc verba: « Si reliquiæ cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivæ. Idem dicendum, si lavando os deglutiat stilla aquæ præter intentionem. » (5. Jejunium morale ac philosophicum dictum est actus temperantiæ moderantis appetitum, et usum cibi ac potus secundum regulam rectæ rationis, cujus velut partes sunt abstinencia et sobrietas; abstinencia enim moderatur affectum et usum ciborum; sobrietas vero moderatur affectum et usum potus potentis inebriare. (6. Jejunium *ecclesiasticum* est abstinencia a carnibus et quibusdam aliis cibis, ab Ecclesia imperata cum unica refectione tempore designato sumenda. Ita in re communis.

(7. Ad jejunium ecclesiasticum tria requiruntur, scilicet abstinencia ciborum certi generis, abstinencia plurium refectionum, et certa hora refectionis. *Communis*. (8. Quantum igitur spectat ad primum, nempe ad abstinencia ciborum certi generis, sive, ut loquitur concilium Tridentinum sess. 23, cap. 21, *delectum ciborum*, abstinendum est diebus jejunii a carnibus, ut statuitur in c. *Statuimus*, dist. 4, c. *Utinam*, dict. 76, conc. Toletan. VIII, cap. 9, et sæpe alibi. (9. Et, in Quadragesima, ab ovis et lacticiniis, scilicet lacte, butyro, caseo, et quidquid ex lacte conficitur, ut præcipitur in synodo Trullana, can. 36, et cap. *Denique*, dist. 4, ibi: « Par autem est ut, quibus diebus a carne animalium abstinemus, ab omnibus quoque quæ sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, a lacte videlicet, caseo, et ovis; » et facit propositio sequens, 32, inter damnatas ab Alexandro VII, die 18 Marti, 1666, ibi: « Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova et lacticinia in Quadragesima obliget. » (10. Unde consuetudo abstinendi a lacte, caseo, et ovis, pro solo tempore Quadragesimæ, non item pro aliis diebus

jejuniorum obligat, universaliter loquendo. Sic doctores communiter cum S. Thoma 2-2, qu. 147; Castropalaio, part. VII, disp. 3, punct. 2, § 1, et alii passim. (11. Particulariter tamen loquendo, standum est particularibus locorum consuetudinibus et privilegiis, cum alicubi ova et lacticinia prohibeantur solum tempore Quadragesimæ, et extra illud non sint vetita, et alicubi etiam diebus jejunii extra Quadragesimam non permittantur, et alicubi, sive ex consuetudine, sive ex privilegio, permissum videatur vesci, nedum ovis et lacticiniis, sed etiam fagine seu pinguedine expressa a larido porcino, item adipe anserum ac aliorum animalium, item sanguine animalium, farciminum, etc., ut observant et affirmant Glossa in cap. *Presbyter*, dist. 82, verb. *Sagimine*; Hostiens. in summa Rubr. de observat. jejunii; Abbas in cap. *Consuluit*, n. 2 de Judæis, et alii. (12. In jejuniis regulares uti possunt ovis et lacticiniis, extra tamen tempora ab Ecclesia universaliter prohibita, ut fuit determinatum in capitulo generali Cappuccinorum 1596, et fuit approbatum a Sacra Congr. Episcop. et Regular. in Consentina 15 Julii 1606, apud Nicol. in Floscul. verb. *Cappuccini*, num. 9, et apud Piton. Constit. et decis. Pontific. ad Regulares, tom. II, n. 1672.

(13. Quantum ad secundum, nempe ad abstinencia plurium refectionum, certum et indubitatum est ex generali et perpetua Ecclesiæ consuetudine ad jejunium requiri unam tantum refectionem moraliter continuatam, excludendo refectionem iteratam. (14. Unde merito Alexander VII, die et anno, quo supra, damnavit sequentem propositionem 29, in ordine: « In die jejunii, qui sæpius quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit, non frangit jejunium. » Ex Ecclesiæ tamen tolerantia, et tacito consensu, et longeva generali consuetudine ultra dictam unicam refectionem introducta est, et licite permessa est parva serotina collatiuncula in sublevamen corporalis infirmitatis, quæ mundo senescente semper magis augetur. (15. Quantum ad tertium, nempe ad certam refectionis horam, licet alias talis relectio tanquam cæna sumenda esset hora vespertina in Quadragesima, ut patet ex cap. *Solent*, 49, dist. 1, de consecr. ibi: « Solent plures, qui se jejunare putant in Quadragesima, mox ut signum audierint ad horam nonam comedere, qui nullatenus jejunare credendi sunt, si ante manducaverint, quam vespertinum celebretur officium, » et hora nona, quæ est tertia post meridiem in aliis jejuniis infra annum, ut testatur S. Bernardus serm. 4, de Quadragesima, et Micrologus de Ecclesiasticis observat. cap. 49, ibi: « In hoc Quadragesimale Jejunium ab aliis differt, quod in aliis post Nonam, in hoc post Vesperam reficere debemus. Nec juxta canones quadragesimaliter jejunare censemur, si ante vespem reficimur; » tamen quia Mater Ecclesia ob corporis et naturæ semper magis declinantis infirmitatem refectionem illam tanquam prandium sumi indulsit hora sexta proxima meridiæ,

refecto nomine Cænae ob memoriæ antiquitatis (unde ordinavit ut in ipsa meridiana refectione preces pro benedictione mensæ dicantur, ut in Cæna), et statuit ut in Quadragesima dicantur Vesperæ, et in aliis diebus jejunii Nona semper ante refectionem meridianam. (16. Hæc autem consuetudo sumendi refectionem in meridie diebus omnibus Jejunii cæpit fere temporibus S. Thomæ Aquinatis circa annum Christi 1270, ut insinuat ipsemet S. Thom. 2-2, quæst. 147, art. 7, et passim doctores alii.

(17. Jejunium ecclesiasticum quo ad substantiam consistit in unica comestione, et abstinencia a carnibus. *Communis*. (18. Præceptum jejunii obligat sub mortali diebus ab Ecclesia præscriptis. *Communis*; unde Alexander VII, die 24 Septembris 1665, merito damnavit sequentem propositionem 23, in ordine: « Frangens Jejunium Ecclesiæ, ad quod tenetur, non peccat mortaliter; nisi ex contemptu, vel inobedientia hoc faciat, puta quia non vult se subijcere præcepto. » (19. Jejunium quamvis ab Ecclesia sit determinatum quo ad tempus, tamen non est solum de præcepto positivo Ecclesiæ, sed de implicita præordinatione divina Fidelibus demandatum: Conc. Moguntin. IV, c. 47, ibi: « Eos vero, quos necessitas nulla excusat, etiam ad statuta Ecclesiæ jejunia observanda inducant ipsumque jejunium divini esse præcepti dignitatem corporum, et animarum expedire videbatur, ab Ecclesia ordinata. » Unde Ecclesia ipsa Christum Dominum jejunii cognoscit auctorem, prout in suis orationibus confitetur, inquit: « Perfice quæsumus, Domine, benignus in nobis observantiæ sanctæ subsidium, ut quæ te auctore facienda cognovimus, te operante impleamus; » et iterum: « populum tuum quæsumus, Domine, propitius respice, et quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, a noxiis quoque vitiis cessare concede. » Monacell. tom. II, tit. 16, formul. 4, n. 3; Fagnan. lib. III, Decret. in cap. *Epliarum* 3, de observat. jejun., n. 31, et alii ibi ab ipso citati.

(20. Die Dominico quamvis ex se licitum esset jejunare, ut clare patet ex c. *Utinam* 11, dist. 76, tamen propter hæresim Manichæorum, qui in contemptum Resurrectionis Domini dicebant Jejunium die Dominico necessarium esse, et propter alias hæreses, superstitiones, et errores, statutum est ab Ecclesia non esse jejunandum Dominicis diebus. Sic in canone 65, Apostolorum c. *Jejunium* 14, et cap. *Ne quis jejunet*, 15, dist. 3, de Consecrat. et in c. *Placuit*, 9, dist. 3, de Consecr. et c. *Quadragesima*, 15, dist. 5, de Consecrat. Ecclesia a Quadragesima excipit dies Dominicos. Unde si Jejunium alicujus Vigiliæ incidat in diem Dominicam, anticipari præcipit præcedenti sabbato; cap. ex parte 1, et cap. *Consilium* 2, de Observat. Jejunior. (21. Et sacra congregatio universalis Inquisitionis Romanæ anno 1686, præcepit, ut nullo pacto ex devotione etiam B. Virginis imponatur jejunium, quod indifferenter amplectatur dies Dominicos, et festi-

vos solemnes, puta faciendum una die Hebdomadæ totius anni, cum sit contra usum et praxim Ecclesiæ. Et hanc sacræ congregationis dispositionem asservari in archivio suæ provinciæ Panormitanæ testatur Felix Potestas tom. I, part. 3, n. 2825.

(22. Ex dictis num. 20, consecrarium est, quod si quis vovisset, vel voveret jejunare per unum, vel plures annos, subintelligeretur exemptis diebus Dominicis a Jejunio: eo quia a lege Jejunii dies Dominicos excipit Ecclesia: imo nec hujusmodi Dominicis teneretur abstinere a carnibus; tempore enim Quadragesimæ diebus Dominicis in tantum tenemur abstinere, quia sic ab eadem Ecclesia dispositum est, quod hic non supponitur dispositum nec a vovente: si autem vovisset, vel quis voveret cum expressa intentione jejunandi etiam singulis diebus Dominicis, quoties id mala fide fecisset, vel faceret, votum esset omnino nullum; si vero cum bona fide, Jejunium esset nullum solum quoad hanc partem, tanquam illicitam, scilicet quoad dies Dominicos; et ratio est, quia in primo casu intentio est omnimode mala, et irreligiosa ob pravum finem, in secundo autem non sic ut est clarum. Item si quis vovisset, vel voveret jejunare per plures annos ea hebdomadæ die qua fit festum sanctissimæ Annuntiationis cum expressa intentione comprehendendi dies Dominicos, quoties talibus diebus contingat præfatum festum, de tali voto discurrendum esset in sensu quo supra: at si non habuisset nisi intentionem recte jejunandi, nempe vero cultu, et juxta sensum Ecclesiæ (quod in dubio est præsumendum) occurrente festo Annuntiationis diebus Dominicis, anticipare deberet Jejunium die Sabbati; recta enim intentio usum, et morem Ecclesiæ sequi tenetur, quæ occurrente Vigilia alicujus sancti die Dominico, in diem Sabbati onus transfert implendum.

Addit tamen Felix Potestas loco supra cit. n. 2828, ex Thoma del Bene, Alario, et Sanchez, quod si fuerit votum jejunandi solis aliquibus diebus Dominicis ob beneficium, aut honestum aliquem finem, secluso scandalo, et omni alio pravo mortali fine, et etiam secluso vano singularitatis studio valeret votum, quia tunc est de re licita, eo maxime quia nunc haud amplius vigent præmissæ hæreses. Intellige (juxta ipsum) Manichæorum, qui dixerunt, ut sub n. 20, et Arii, ac Erasmi volentium non fore jejunia statuto tempore instituenda, sed pro arbitrio eligenda.

(23. Si vigilia S. Joann. Baptistæ cadat in festo Corporis Christi anticipandum est Jejunium feria quarta. Urban. VIII. 13 Octob. 1638, in append. 2, constitut. 45, incip. *Cum evenire*. (24. Idem declaratum est pro Vigilia S. Antonii de Padua apud conventuales; quia enim Fratres Minores conventuales ex constitutione Urbana tenentur peragere Vigiliam S. Antonii de Padua, et insuper jejunare; oblata ab ipsis supplicatione sacræ Rituæ congregationi quid agendum, quando præfata vigilia occurrit in festo Corporis

Christi; ead. sac. congr. respondit, hujusmodi Jejunium feria quarta immediate antecedente esse anticipandum; facta autem de prædictis sanctissimo relatione, sanctitas sua annuit, ac prælibatos fratres a præcepto, quo ipsis Urbana constitutione, Jejunium prædictum patet injunctum, absolvit die 26 Maii 1639.

(25. Hinc colligitur, quod si aliqua Vigilia cum Jejunio occurrat in festo solemniori alicujus patroni principalis, posse licite ab episcopo fieri commutationem jejunii in diem præcedentem, ad eum modum, quo Vigiliæ solemnitatibus, et sanctorum occurrentium feria secunda non jejunantur die Dominico, sed in Sabbato antecedenti, ut disponit textus in c. *Ex parte* 1, etc., *Consilium* 2, de observat. Jejunior. ibi: «Sanctorum quoque Vigiliæ, quorum festivitates oportet secunda feria celebrari, in præcedenti sunt Sabbato jejunandæ;» Fagnan. in cit. cap. *Consilium*, num. 31; Innocent. abbas, et præpositus ab ipso ibi cit.; Silvest. verb. *Jejunium*, n. 19; Sanchez in *Consiliis* lib. v, d. 5, num. 7; Anton. a Spiritu sancto, tom. I, tract. 6, dis. 2, sect. 5, n. 130; Felix Potestas, tom. I, part. 3, n. 2822, et alii. (26. Non potest tamen auctoritate episcopi anticipari Vigilia S. Matthiæ, etiamsi occurrat ultima die Bacchanalium; sac. Rit. congregat., 23 Januar. 1694, et 11 Jul. 1699, apud Monacelli. p. 2, tit. 16, form. 4, n. 12.

Et sic novissime statuit Benedictus XIV, a me etiam citatus ad hunc locum, in epistola encyclica vulgari idiomate concepta, quæ in supplem. ad hunc art. sub n. 88 affertur ad litteram.

(27. Fratres Minores tenentur ad præceptum Jejunii feria sexta occurrente in die Natalis Domini; arg. c. *Explicari*, 3, de observat. Jejunior., ubi summus Pontifex Honorius III, episcopo Pragensi super hoc puncto interroganti respondit: «Explicari per sedem apostolicam postulasti:» et infra: «Respondemus, quod illi, qui nec voto, nec regulari observantia sunt astricti in feria sexta, si festum Nativitatis Dominicæ die ipso venire contigerit, carnibus propter festi excellentiam vesci possunt secundum consuetudinem Ecclesiæ generalis. Nec tamen hi reprehendendi sunt, qui ob devotionem voluerint abstinere.» Et sic tenent nostræ regulæ expositores, et doctores passim, ut Corduba, Miranda, Rodrig. Portell. Marchant. in exposit. Regul. c. 4; Felix Potestas tom. I, part. 3, n. 2834; Reiffenst. lib. III, decret. tit. 46, num. 3, ubi testatur de communi, et sic probat praxis totius nostræ Religionis, et ex exteris tenet Natal. Alex. Theol. moral. tom. II, lib. IV, de Decalogo, cas. 4, art. 7, resolut. 7; Fagnan. l. III, in cit. c. *Explicari*, num. 27; Barbosa ib. num. 3, et varii alii ibi cit.; Pirhing. ib. num. 6, citans alios. (28. Melphi tamen in Comm. c. 3, statut. 13, q. 5, cum Diana, Bonacina, Gobat, Fagundez, et aliis apud ipsum, tenent expresse contrarium, et ad citatum canonem Honorii III, respondent, ibi esse sermonem de iis solum, qui sunt astricti voto Jejunii,

et hoc expresse comprehendere diem Natalis Domini aut Regulari observantia de vita Quadragesimali, ut Fratres Minores, cujusmodi non sunt Fratres Minores adeoque, etc. (29. At vero talem dictum Canonem sic exponere, est ipsum torquere, ut patet ex ipsiusmet verbis, et ex communi canonistarum interpretatione cum Fagnano, Barbosa, Pirhing, Reiffenstuel locis citatis, et aliis passim ac ex dictis etiam haberi debet, quod si quis vovisset jejunium v. g. quolibet die Martis, vel Sabbati, contingente Nativitate Domini ipsis diebus, teneatur jejunare. Arg. quod supra ni vovens talem diem a jejunio excepisset expresse.

(30. Moniales S. Claræ non tenentur nunc sub mortali ad jejunia regulæ, nempe adventus, et feriæ sextæ. Quamvis enim olim tenerentur sub mortali ad Jejunium perpetuum ex vi primæ regulæ in 12 capitula tradita a S. P. N. Francisco, et approbata ab Innocent. IV, 16 Sept. 1253, constitut. 12, incip. *Solet annuere*, ubi in tertio capitulo imponitur Jejunium perpetuum, et ex vi secundæ regulæ in 26 capitula dispositæ, et confirmatæ ab Urbano IV, 1263, const. 7, incip. *B. Clara*, tenerentur sub mortali ad Jejunium a festo Nativitatis B. M. V. ad festum Resurrectionis Domini, et feriis sextis ut patet in capitulo undecimo ejusdem. Modo tamen ex dispositione, seu declaratione Eugenii IV, const. 28, incip. *Ordinis tui*, edita *Nonis Februarii 1446*, ad supplicationem S. Joannis de Capistrano, tunc nostri ordinis vicarii generalis, non tenentur nisi ad Jejunia Fratrum Minorum de Observantia, scilicet adventus a diè omnium sanctorum usque ad Nativitatem Domini exclusive, et cujuslibet feriæ sextæ. Et ad hoc neque sub mortali, uti sunt obligati dicti fratres, nam ibi Pontifex, quantum ad nostrum casum de Jejunio, duo disponit, primo obligationem temporis, reducendo tempus perpetuum primæ regulæ ad dictum tempus fratrum, scilicet feriæ sextæ, et adventus; et secundo obligationem peccati ipsam retrahendo a linea peccati mortalis, nam postea descendendo ad obligationem peccati cunctorum præceptorum dictæ regulæ numero centum, et trium, quæ refert, et inter quæ sub capitulo tertio est Jejunium, subdit: «Tenore præsentium declaramus, et volumus, quod in nullius prædictorum transgressione, præter quam eorum quatuor, quæ concernunt principalia vota obedientiæ, scilicet paupertatis, castitatis et clausuræ, et super electione abbatissæ, et depositione peccatum mortale incurrant,» ubi, ut recte notat Felix Potestas tom. I, p. 3, n. 2838, habetur expressa exceptio, et positiva aliorum præceptorum exclusio, inter quæ est Jejunium; exceptio autem firmat regulam in contrarium l. in *his quest.* 15, ff. de *Legibus*, leg. *Quæsitum* 12, § 43, ff. de *Instructo, vel instrumento legato*, cap. *Dominus* 6, caus. 32, quest. 7, c. *Quoniam*, 2, de conjugio leprosororum.

(31. Dispensatus circa esum carniū ob debilitatem virium et ad eas recuperandas, est etiam dispensatus a jejunio, ita ut possit

sæpius in die comedere. Communis: et ratio est, quia in ipso pro recuperandis viribus adest vera necessitas multiplicis comestionis. Necessitas autem facit licitum, quod alias est illicitum; cap. *Quoniam*, 1, q. 7, c. *Omnes* 1, de Fer. cap. *Consulisti*, 3, de Celebrat. Missar. cum similibus et necessitas non habet legem; c. *Sicut* 11, de consecrat., dist. 1. (32. Non sic tamen est dispensatus a jejunio qui est dispensatus circa esum carniū, quia cibi Quadragesimales, seu jejunales sunt ei nocivi, seu nauseales; sic Sporer tom. I, append. ad tertium præceptum Decalog., sect. 3, num. 40, de Graffis, Toletus, Lessius, et alii cum Layman, lib. IV, tract. 8, c. 3, n. 8; Filliuc. c. 3, d. 7, q. 4, num. 53; Henno tom. I, tract. 1, de Peccatis actualibus disp. 4, q. 4, concl. 3; Thomas Hurtad. de Resid. tom. I, resolut. 3; La Croix lib. III, p. 2, num. 1269; Rodrig. in summ. c. 24; Felix Potestas t. I, part. 3, num. 2883; Reginald. Cajetan. Navarr. Medina, Angles, Bonacina, et alii plurimi.

(33. Et hoc colligitur aperte ex bullis, et edictis a Summis Pontificibus, qui diserte declararunt, eos, cum quibus dispensarunt a præcepto de abstinence a carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum salutis noxii esse possent, non excipi a lege jejunii, sed teneri tempore Quadragesimæ unicam in die sumere refectionem; Gregor. XIII in bulla *Cruciata* pro regno Lusitanæ sic statuit: «Præterea indulgemus ut dicto triennio durante, carnibus de consilio utriusque medici temporibus Jejuniorum, tam Quadragesimalium, quam quarumcunque dierum totius anni, vesci possint ac pro eorum libitu ovis et lacticiniis, ita quod qui carnes comederint, servata in cæteris Jejunii ecclesiasticæ forma, dicto Jejunio satisfecisse censeantur.» Alexand. VII, Pontifex Maximus anno 1657, Romæ promulgavit edictum, quo propter pestem, quæ anno præcedenti in urbe sævierat, dispensavit tempore Quadragesimæ cum civibus romanis a præcepto de abstinence carnis in diebus Dominicæ, Lunæ, Martis et Jovis, expresse tamen declarans eos Jejunium servare debere, excepta die Dominicæ, in aliis diebus, in quibus libere possent carnibus vesci. Similem dispensationem a præcepto de abstinence carnis tempore Quadragesimæ anno 1658, totius ducatus Mediolanensis fidelibus indulsit idem Pontifex, ea apposita clausula «citra tamen exemptionem a jejunio.» Denique in edicto, quod Romæ pro observatione Quadragesimæ sub pontificatu Clementis XI anno 1703, publicatum est hæc clausula inserta fuit: «Ed osservare il digiuno alle di cui leggi sono tenuti anche quelli che per giusta causa si cibano di carni salubri.» Quæ verba sic latine redduntur: «Et debent observare Jejunii legem ad quam obstringuntur, et illi, quibus justa de causa permittitur, ut tempore Quadragesimæ carne salubri vescantur.» Sed cum hæc inserta clausula quibusdam displicuisset, diligentius hujusce rei examen selectis viris eruditissimis commisit Clemens XI Pontifex Maximus, atque post per-

lecta, et ad sanctuarii pondus librata hinc inde illorum censoria suffragia, tandem ad marginem edicti, quod Romæ pro Quadragesimæ observatione anno 1704, typis edendum ac vulgandum erat, sicut singulis annis fieri solemne est, hanc clausulam, propria manu scriptam, edicto quoque inserendam ipsemet Pontifex Clem. XI apposuit: «Ed osservare il Digiuno, alle di cui leggi siano tenuti anche quelli, che si cibano di carni salubri col motivo di esser loro nocivo il vitto Quaresimale.» Quæ verba latine redduntur: «Et tenentur observare Jejunium, a cujus lege non dispensantur illi, qui salubri carne vescuntur, eo solo ducti motivo, quod eorum salutis noceant Quadragesimales cibi.» Et cum prædicta Pontificis clausula edictum pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1704 fuit publicatum. Exstat etiam edictum Pauli Manfredi urbis Romæ totiusque status ecclesiastici protomedici generalis datum Romæ pro observatione Quadragesimæ anno 1703: in quo expresse asserit: eos, quibus ex speciali Ecclesiæ indulgentia licet tempore Quadragesimali vesci carnibus, quod cibi Quadragesimales eorum sanitati haud modicum damnum afferre possent, non dispensari, juxta mentem Summi Pontificis Clementis XI, et declarationem Gasparis Carpegna, Cardinalis Vicarii ejusdem Summi Pontificis ab observatione Jejunii: «Nè per tanto li dispensano dall'astinenza, e digiuno in tutte le sere obligate, non dovendoli nè potendoli li medici sciogliere da questa obligazione che per altro è salutare, e giovevole, benchè per le loro sanità se gli conceda il mangiare carni, conforme espressamente, coll' oracolo di Nostro Signore, dichiara nel suo editto sua eminenza, » seu cardinalis Gaspar. Carpegna Summi Pontificis Clementis XI vicarius in suo edicto, quod jussu ejusdem Summi Pontificis pro observatione Quadragesimæ Romæ anno 1703, publicavit, quod ut ab omnibus legi possit, hic verbatim affertur.

EDITTO PER L'OSSERVANZA DELLA QUARESIMA.

(34. Gasparo per la misericordia di Dio vescovo di Sabina, della Santa Romana Chiesa cardinal di Carpegna, della Santità di Nostro Signore Vicario Generale, ec.

Acciò il tempo Quaresimale consacrato a' digiuni, e ad altre opere di penitenza, e perciò detto da Santa Chiesa «tempus acceptabile, dies salutis,» sia in quell'osservanza, che si deve, e si rimovano le occasioni, che possano indurre qualche scandalo, o rilasciamento in quel che appartiene al precetto del digiuno, o all'astinenza dei cibi proibiti: La Santità di N. Signore inkerendo alla disposizione del sacro concilio di Trento nel decreto «de delectu ciborum et Jejunii,» ed agli editti altre volte emanati per l'osservanza della Quaresima, ci ha incaricato coll' oracolo della sua viva voce di pubblicare il presente editto, e di ordinare a piena esecuzione delle cose infrascritte.

I. Che nessuna persona durante detto